DISSERTATIO IVRIDICA

DE

FVNDATA IN FORO REI SITAE PER ARRESTVM IVRISDICTIONE QVAMVIS ACTOR CAVSSAM AGENDI A PRINCIPE SVO HABEAT

ET

STATVS CVIVSDAM IMPERII QVODAMMODO REFERRE VIDEATVR REVM NON SVCCVMBERE

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

FRIDERICO

HASSIAE LANDGRAVIO RELIQ.

PRAESIDE

AEMIL. LVDOV. HOMBERGK zu Vach

IVRIVM DOCTORE ET PROFESSORE ORDINARIO

AD D. IVNII CIↃ IↃ CC XLVIII.

H. L. Q. S.

PVBLICAE COMMILITONVM DISQVISITIONI

SVBMITTIT

CAROLVS PHILIPPVS KOPP.

MARBVRGI, TYPIS MVLLERIANIS.

Digitized by Google

DISSERTATIO IVRIDICA
DE
FVNDATA IN FORO REI SITÆ PER ARRESTVM IVRISDICTIONE QVAMVIS ACTOR CAVSSAM AGENDI A PRINCIPE SVO HABEAT ET STATVS CVIVSDAM IMPERII QVODAMMODO REFERRE VIDEATVR REVM NON SVCCVMBERE.

CONSPECTVS.

§. *I. Argumenti selectus.*
§. *II. Non quæri, an arresta facti sint permissa in caussa Principis contra Principem?*
§. *III. Sed, an arrestum a judice rei sitæ,*
§. *IV. in caussa civili,*
§. *V. ad instantiam subditi,*
§. *VI. contra forensem, qui ratione bonorum ejusdem domini subditus est,*
§. *VII. servato ordine Processus recte decernatur,*
§. *VIII. licet forte dominus territorii malit, actorem in justa caussa vincere.*
§. *IX. alterius vero Principis quodammodo referat, reum non succumbere,*
§. *X. imo licet actor caussam agendi a Principe suo habeat.*
§. *XI. Quod affirmatur,*
§. *XII. Dicasterium enim in casu supposito non judicat in caussa propria,*
§. *XIII. nec Princeps sibi ipsi jus dicit,*
§. *XIV. sed judex rei sitæ ordinarius cognoscit in caussa aliena, subditos jurisdictioni ejus subjectos concernente*

Digitized by Google

§. I.

Digitized by Google

§. I.

Nupera Diſſertatione doctrinam de foro rei ſitæ ejusque amplitudine apud veteres Germanos & de fundata in eodem per arreſtum Juriſdictione in genere perſecuti ſumus, atque ICTORVM GIESSENSIVM rationes, quibus noſtra in hoc argumento principia aggreſſi ſunt, excuſſimus. Reliquum eſt, ut ſententiam noſtram vel eo caſu fundamento non deſtitui oſtendamus, tametſi actor ſe fundet in pacto a Principe ſuo inito & ſic cauſſa per indirectum concernere videatur Dominum territorii, cujus nomine juriſdictio exercetur. Qua in re nihil adeo aut a juris aut ab æquitatis ratione alienum nos ſtatuiſſe arbitramur, ut potius mirari ſubeat, viros doctiſſimos offendiſſe ad ſententiam, quam, ſi per occaſionem licuiſſet, ambabus ipſi amplexi fuiſſent manibus.

Argumenti ſelectus.

§. II.

Ad ſtatum autem motæ controverſiæ quod attinet, CL. WAGNERVS (a) talem conſtituit, qui peſſimum aliis inſinuat præjudicium,

Non quæri an arreſta facti ſint permiſſa in

Digitized by Google

caussa Principis contra Principem?

arresta facti ex sententia nostra in caussa Principis contra Principem Constitutionibus Imperii non prohiberi, cum tamen in Programmate nostro, contra quod Viri Clarissimi tela sua direxerunt, hujus opinionis nec vola nec vestigium appareat. Quin tantum abest, ut arrestum a judice rei sitæ in casu supposito decretum illegitimum videri debeat, ut potius pro arresto Juris & Legibus Imperii permisso id reputandum sit. Quare cum hac in quæstione cardo rei versetur, operam dabimus, ut statu controversiæ distinctius formato, quid de illa habendum sit, liqueat.

(a) *in Dissert. de probib. arrest. in caussa propria duor. Imp. Stat.* §. 21.

§. III.

Sed an arrestum a judice rei sitæ,

Primum itaque supponimus Arrestum a Dicasterio Principis, tanquam a Judice rei sitæ ordinario, decretum esse. Unde ab arrestis facti, quæ non a Magistratu, sed ab ipsa parte fiunt, nos animum plane abducere, nemo est, qui non videt.

§. IV.

in caussa civili,

Deinde, cum judex rei sitæ non intelligatur, nisi in caussa civili; caussam, quæ arresto occasionem præbuit, civilem esse necesse est.

Digitized by Google

eſt. Cum enim per arreſtum prorogetur Juriſdictio, in judice autem, cujus juriſdictio prorogatur, requiratur juriſdictio in ſimili cauſſa conceſſa, hinc in judicem rei ſitæ non niſi in cauſſa civili juriſdictionem per viam arreſti prorogari poſſe patet. Talis proinde ſit cauſſa illa, in qua, num arreſtum legitime decretum ſit, diſputatur.

§. V.

ad inſtantiam ſubditi,

Quamvis autem Judex Arreſtum interdum ex officio non inique decernat: de eo tamen impedimenti genere nos jam ſollicitos non eſſe vel exinde patet, quod ſuppoſuerimus judicem ab eo cujus intereſt, imploratum per modum arreſti proceſſiſſe.

§. VI.

contra forenſem, qui ratione bonorum ejuſdem domini ſubditus eſt,

Actorem, ad cujus preces rebus litigioſis arreſtum impoſitum eſt, ſubditum fuiſſe diximus. Reum ſupponere licebit, qui extra territorium domicilium quidem habet, in eodem tamen prædia poſſidet, quarum ratione ſubditus realis cenſetur, & juriſdictionem domini toties quoties agnovit.

§. VII.

ſervato ordine proceſſus recte

Denique judicem requirimus non de facto,

decernatur,

cto, qnod ajunt, sed juris ordine servato procedentem, qui ex stylo judicii præfigat terminum ad justificandum arrestum, & demum auditis partibus, vel etiam reo non comparente, in contumaciam ferat sententiam, sive confirmatoriam, sive arresti cassatoriam.

§. VIII.

licet forte dominus territorii malit, actorem in justa caussa vincere,

Hæc sit species, in qua arrestum a Dicasterio Principis, tanquam judice rei sitæ immediato, recte decerni potuisse statuimus. Qua in re ipsos forte ICTOS GIESSENSES nacti fuissemus consentientes, nisi arrestum hujusmodi etiam eo casu pro legitimo censendum esse statuissemus, tametsi Domini territorialis per indirectum interesse videatur, actorem vincere. A qua sententia vero ut recederemus, dissentientes argumentis suis adeo non effecerunt, ut ne nunc quidem eandem mutandam, sed justissimam habendam esse contendamus, licet Princeps, cum ob dominium eminens, tum ob studium promovendi subditorum suorum salutem, non possit non in votis habere, ut actor in justa caussa vincat.

§. IX.

alterius vero Prin-

Quemadmodum vero Arrestum hoc casu

ſu juſtitiæ promovendæ cauſſa valide decerni poſſe arbitramur: ita ne hoc quidem ſtatui cauſſæ mutationem quandam eſt allaturum, ſi alterius Principis quodammodo referat, reum non ſuccumbere.

cipis quodammodo referat, reum non ſuccumbere,

§. X.

Quin etiam recte & ordine hæc omnia fieri putamus, tametſi, actorem fundamentum intentionis ſuæ in pacto a Domino territorii cum Principe inito collocare præſtruamus.

imo licet actor cauſſam agendi a Principe ſuo habeat.

§. XI.

Formata ſic quæſtione, circa quam diſputatio noſtra verſatur, affirmativam nos tueri haud diffitemur. Quamvis enim ſat ſpecioſa ſint diſſentientium argumenta, quæ rem obiter inſpicientibus pondus forte quoddam habere videri queant: tanti tamen illa momenti non ſunt, ut ſtatu cauſſæ accuratius inſpecto vel minimum contrariæ ſententiæ adjumentum afferre poſſint. Expoſitis itaque ſententiæ noſtræ principiis, perluſtrabimus rationes, quibus diſſentientes ſibi plaudunt, earumque vim & pondus excutiemus.

Quod affirmatur.

§. XII.

Neminem in propria cauſſa judicem eſſe

Dicaſterium enim in caſu ſup-

Digitized by Google

posito non judicat in caussa propria, posse, haud diffitemur. Sed quemadmodum πρῶτον ψεῦδος Dissentientium in eo consistit, quod in casu supposito judicium in propria caussa exerceri sibi persuadeant; ita sit, ut, quæ in thesi vera sunt, ad hypothesin male applicata, vi sua destituantur. Caussa propria auctore VLPIANO (a) dicitur, cujus emolumentum vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet. Ex qua definitione prono alveo fluit, eum, qui nec actoris nec rei vice fungitur, adeòque prosperum litis eventum non magis sperat, quam adversum metuit, sed justitiæ administrandæ caussa inter utrumque medius sedet, nulla ratione videri posse judicium sibi arrogasse in propria caussa. Dicasterium ergo Principis, quod tanquam judex rei sitæ ordinarius, subditorum lites sententia sua dirimit, in propria caussa jus dicere videri nequit. Sive enim actor superior discedat, sive caussa cadat, neutro casu eventus litis ad illud pertinet, adeoque nec in propria caussa judicat, quod fieri cæteroquin non posse, tam certum est, ut propterea non sit ingredienda schola alicujus Philosophi.

(a) *in L. 1. §. 11. ff. quand. appell.*

§. XIII.

§. XIII.

Deinde nec Principem in ſpecie ſuppoſita ſibi jus dicere evidenter inde patet, quod ab omni judicio plane abſtineat. Quamvis enim ipſe judicium ſibi ſumere poſſit, quia cauſſa ejus in lite non verſatur; ſi tamen eam ob cauſſam, quod ipſius quodammodo intereſſe videatur actorem vincere, ipſe judicare nolit, ſed cauſſam Magiſtratus arbitrio decidendam relinquat: quomodo is in propria cauſſa judicaſſe aut ſibi ipſi jus dixiſſe cenſeri poterit?

Nec Princeps ſibi ipſi jus dicit;

§. XIV.

Cujuſnam ergo, inſtet quis, cauſſa dicenda eſt, in qua Judex rei ſitæ judicat? Et alienam certe eam eſſe oportet, cujus nec emolumentum nec damnum ad judicem rei ſitæ ſpectat. Litem enim concernere diximus duos ſubditos inter ſe, quorum alter ſub judice rei ſitæ domicilium habet, alter vero bona ſub eodem poſſidet, quorum ratione Landſaſſiatus pleniſſime viget, ut nemini abſque ſubjectionis lege prædia ibidem poſſidere liceat; tum quod eo nomine collectas & tributa ſolvat, (a) atque a Domino territorii in litteris

Sed judex rei ſitæ ordinarius cognoſcit in cauſſa aliena, ſubditos juriſdictioni ejus ſubjectos concernente,

 appel-

appelletur lieber Getreuer (b) denique quod inde ab integro ſeculo Juriſdictionem ejus, tam in realibus, quam in perſonalibus bona illa concernentibus agnoverit, ſive actor eſſet, ſive reus. (c) Horum ſubditorum cauſſam ventilari diximus, quod actore vincente ejus ſit emolumentum, damnum rei; illo autem ſuccumbente, ejus ſit jactura, hujus commodum, utrumque vero proprio nomine ad utramque partem ſpectet.

(a) vid. STEPHANI *de Juriſdictione Lib.* 2. *P.* 1. *C.* 7. *num.* 453. *p.m.* 238. add. PFEFFINGER. *ad* VITRIAR. *L.* 1. *Tit.* 22. §. 6. *not.* (*a*),

(b) STEPHAN. *l. c. Lib.* 2. *Cap.* 7. *n.* 248.

(c) PFEFFINGER. *l. c.*

§. XV.

qua tamen pro cauſſa ipſius Principis non eſt babenda,

Quod ſi tamen ſint, qui cauſſam Principis propriam in lite verſari ideo ſibi perſuadeant, quod ipſius quodammodo intereſſe dicatur, actorem vincere, perpendere illos oportet, eas cauſſas, quas principi per officii ſui ſacra negligere non licet, magis publicas eſſe, quam Principis proprias. Quare, cum nihil obſtet, quominus Magiſtratus mediatus in cauſſis reditus fiſcales concernentibus recte judicet, (a) multo

multo magis idem dicendum eſt, ſi cauſſa non lucrum aut commodum Principis privatum, nec etiam reditus fiſcales, ſed bonum publicum idque tantum per indirectum, ſubditos autem principaliter concernat.

(a) COCCEIVS *de Jud. in propria cauſſa* §. 19. 21. 23. de LVDOLF *Obſ.* 228. *p.* 671. 678. SCHILTER *in Exercit. ad Pandect. Exerc. VI.* §. 14.

§. XVI.

quamvis actor ſe fundet in pacto a Principe cum Principe inito.

Neque ex hoc capite cauſſam Principis propriam in lite verſari Diſſentientes evincent, quod actor ſe fundet in pacto Principis cum Principe inito, hoc vero non tam in actoris, quam in Principis commodum celebratum eſſe dicatur. Non ambigui quippe juris eſt, poſſe quem ſtipulando paciſcendove alterius commoda promovere eidemque obligationem & actionem acquirere ſuo facto, quod alter, cujus in utilitatem pactio inita eſt, expreſſe, vel tacite probavit. (a) Quod ſi inter privatos obtinet, nemo cum ratione dubitabit, quin Principi in utilitatem ſubditorum ſuorum cum aliis paciſci liceat, ſubditi vero jus ipſis inde quæſitum perſequentes, non Principis, ſed propriam cauſſam agant,

præsertim, si non merum lucrum ex pacto captent, sed jus a Principe in stipulationem titulo maxime oneroso deductum sibi vindicant. Patet hinc quid sentiendum sit, de quæstione, *num jus ex pacto a Principe cum Principe inito quæsitum, indistincte sit caussa ipsius propria?* Et tam certum id esse arbitratur CL. WAGNERVS (b) ut contrarium sine manifesta absurditatis nota defendi posse neget. At Vir doctus confundere nobis videtur jus ex pacto, cum jure ex cessione Principis quæsitum. Potest enim quis, uti ostensum est, citra caussam cessionis ex pacto alterius agere, nec omnis qui in pacto alieno fundamentum actionis suæ collocat, cessionarius est. Deinde, licet actor ex jure a Principe sibi cesso experiatur: non tamen satis firmiter exinde quis concluderet, caussam Principis propriam in lite versari, & Dicasterium ejus propterea judicem esse incompetentem. Cum enim caussa propria sit, cujus emolumentum vel damnum proprio nomine ad aliquem pertinet: certe actio cessa post cessionem Principis propria videri nequit, cum nec utiliras ulla, nec damnum ex eventu litis ad eundem redun-

Digitized by Google

redundet. Nemini quidem ignotum eſt, nec iis, qui principiis juris ſaltem leviter tincti ſunt, exceptiones, quæ cedenti obſtant, etiam ceſſionario opponi poſſe: de eo tamen inter omnes pariter convenit, exceptiones, quæ cedentis intentionem elidere non potuiſſent, ſi ipſe egiſſet, nec ceſſionario agenti cum effectu objici poſſe. Unde concludimus, exceptionem fori incompetentis, licet dilatoria tantum ſit, ceſſionario non obſtare, ſi Dicaſterii Juriſdictio fundata ſit, quamvis ipſe Princeps proprio nomine agere maluiſſet, quandoquidem conditio rei per ceſſionem non eſt facta deterior. Eſt enim in his rebus ad obſervantiam potiſſimum reſpiciendum. Dicaſterium autem utroque Principe non ignorante aut invito, etiam cum actor cauſſam ſuam ex munificentia Principis ſui haberet, inde per ſeculum judicis munere functum fuit. Nulla itaque apparet ratio, cur in ſuppoſita ſpecie quis in dubium vocare velit ejuſdem competentiam. Nam quod WAGNERVS *l. c.* §. 33. potiſſimum urget, judicem Principis mediatum interpretationem pacti in cauſſa Principis ſibi ſumere non poſſe, ad pa-

cta

cta dubia pertinet. Quodſi vero mens paciſcentium manifeſta eſt, ut præter implementum conventionis nil ſupereſſe videatur, tunc, vel ipſo WAGNERO non diſſentiente, rem aliter ſe habere nemo negaverit.

(a) HEINECCIVS *in Elem. Jur. Germ. Lib.* 2. *Tit.* 11. §. 347.

(b) *l. c.* §. 31. *circa finem.*

§. XVII.

Cujus Dicaſterium ne quidem in cauſſa ejus propria judex incompetens eſt,

Neque leviter hæc dici nobis perſuadebunt, qui perinde eſſe exiſtimant, ipſe Princeps judicet, an alius qui juriſdictionem nomine ejus exercet: tum quod ſufficiat, utilitatem Principis per indirectum in lite verſari, tum quod facta aliena auctoritate & conſenſu præſtito noſtra fiant, (a) tum denique, quod juriſdictio, quam judex mediatus nomine Principis ſui exercet, intuitu concedentis aliena videri nequeat. (b) Verum non eſt hoc loco ſine obſervatione prætermittenda antiquiſſima conſuetudo, qua Duces & Principes Germaniæ judicare poſſe dicuntur in propria cauſſa. (c) Non quaſi iniquiſſimus apud nos rece-

quia vel ipſe Princeps ſubditos ſuos in proprio judicio con-

receptus ſit mos, ut Princeps & partis, & judicis & executoris munere ſimul fungi poſſit, ſed quod ſummis imperantibus liceat ſubditos ſuos in propriis judiciis convenire. Quæ conſuetudo, cum nec naturali nec civili juri repugnet, ut etiam privati jurisdictione patrimoniali gaudentes hoc jure utantur, tanto certe æquior videri debet mos ille Principum Germaniæ antiquus, conveniendi ſubditos ſuos in propriis judiciis, quanto ſublimior & ſanctior eſt perſona Principis, quæ cauſſam ſuam Magiſtratus deciſioni committit, (d) ut, nunquam niſi juſtum & verum ei placere præſumatur, ejusque mens talis reputetur, qualis eſt mens legis & rationis naturalis. (e)

venire poteſt,

(a) GROTIVS *de Jure B. & P. Lib. I. c. 4. §. 4. n. 1.*
(b. *vid.* WAGNER *l. c. §. 23. in Schol. p. 33.*
(c) ALEXANDER *Conſ. 123. in fin. Col. 2. verſ. pro hoc.* ZASIVS *ad L. 10. ff. de Juriſd. n. 10.* SCHRADER *I. Conſ. 2. n. 18. & de feud. P. X. Sect. 2. n. 64.* GAIL. *L. I. Obſ. I.* BLVM *de Proc. Cam. Tit. 26. §. 27.* LYNCKER *Dec. 882. & in tract. de Gravam. extraj. c. 9. P. 2. §. 39. n. 8. p. m. 857.* DE LVDOLPH. *Obſ. 228.* HEINECC. *de Domin. ſubdit. ſuos in propr. jud. conven. §. 12.*
(d) *vid.* HEINECC. *l. c.*
(e) RICHTER *P. I. Deciſ. 12. n. 27. ſeq.* MYLER AB ERENB. *in Nomol. c. 1. 2.* STYK. *V. 7. Diſp. 17. de præſumt. pro Mag.* VVLTEI. *Vol. 3. Conſ. Marp. 18. n. 174.*

§. XVIII.

Sive res ipsi sit cum personis sibi homagio obstrictis,

Justitiam hujus consuetudinis, quam ipsi dissentientes haud negant, eximiis argumentis demonstravit Illustris HEINECCIVS, (a) ut actum omnino agere videremur, si in ea probanda ulteriorem operam collocare vellemus. Interim sententiam nostram hac consuetudine non juvari existimant ICTI GIESSENSES, (b) quod HEINECCIVS intelligendus sit de veris subditis, variis præstationibus obnoxiis, & jus hoc repetat ex antiqua dominorum in servos suos potestate. Verum, ut taceamus, adhuc sub judice litem esse, quo ex fonte jurisdictio patrimonialis, & cum ea connexum jus conveniendi subditos in proprio judicio profluxerit, (c) HEINECCIVS certe non de nobilibus tantum loquitur, sed etiam de Principibus Imperii, in quos ratio a potestate Dominorum in servos desumta non quadrat.

(a) *l. c.* §. 2.

(b) *vid.* BALSER *de arresto facti &c.* §. 17. WAGNER *l. c.* §. 27.

(c) *vid.* DE LEYSER *specim.* 29. *med.* 4. PVFENDORF *de Jurisd. German. Part. II. Sect. III. C. I.* §. 215.

§. XIX.

Sive cum subditis re-

Deinde rationes illæ, quæ permittunt, ut sum-

ſummus imperans ſalvis juris naturalis principiis obſtrictas ſibi homagio perſonas in Dicaſteriis ſuis conveniat, obſtare profecto nequeunt, quominus idem cum ſubditis ſuis realibus in proprio judicio experiri poſſit. Qui enim prædia in alieno territorio poſſidet, intuitu illorum non minus verus ſubditus & certis præſtationibus obnoxius eſt, quam alius civis, qui ſub eodem Principe domicilium habet. Agnovit hoc Illuſtris BOEHMERVS (a) cum Principi cuidam Imperii auctor eſſet, ut ſubditum hujuſmodi realem conveniret in foro rei ſitæ. Quæ ſententia, cum analogiæ juris omnino conformis ſit, minus certe dubii eadem habere poteſt,, ſi reus, de quo conveniendo quæritur, juriſdictionem Dicaſterii, tanquam judicis rei ſitæ ordinarii intuitu bonorum illorum inde ab integro ſeculo agnoverit. Cui conſequens eſt, judicem rei ſitæ incompetentem videri non poſſe, licet forte Dominus territorii non privati commodi, ſed boni publici cauſſa actorem in juſta cauſſa vincere malit. Nam ſi Princeps ſubditos ſuos in proprio judicio convenire poteſt, quando cauſſa principaliter ipſum tangit: multo

alibus intuitu prædiorum in territorio ejus ſitorum,

 ma-

magis certe ſententia a Dicaſterio ejus ferri poterit, cum publica utilitas ſaltem per indirectum in lite verſatur.

(a) *Tom. II. P. I. Conſ.* 197. *n.* 35. 36.

§. XX.

Quamvis alterius Principis, ſub quo reus domicilium habet, quodammodo referat, illum non ſuccumbere,

Neque diverſum jus obtinet, licet forte alterius cujusdam Principis per indirectum interſit reum non ſuccumbere. Quamvis enim Magiſtratus aliquis mediatus, in Statum Imperii ſibi juriſdictionem non magis arrogare poſſit, quam Principi in Principem ordinarie quid ſtatuere licet: non ambigui tamen juris eſt, Statum Imperii Immediatum ratione bonorum in alieno territorio ſitorum inſtar ſubditi conſiderari poſſe. (a) Quemadmodum vero ſubditi reales a domino in propriis judiciis recte conveniuntur, ita nulla apparet ratio, quominus Status Imperii, qui ratione bonorum quorundam non immediatus, ſed alterius Landſaſſius eſt, juriſdictionem domini territorialis agnoſcere teneatur, ſi intuitu bonorum illorum lis oriatur. Non ignoramus quidem, Status Imperii, præſertim Principes, juxta doctrinam ZIEGLERI (b) alterius Status Landſaſſios dici non poſſe, licet

Digitized by Google

licet in territorio ejus bona poſſideant. Neque nos fugit I. SCHILTERI (c) obſervatio, Sereniſſimos Saxoniæ Duces utriuſque lineæ, & Albertinæ & Erneſtinæ, alterum in alterius territorio terras Landſaſſicas poſſidere, quamvis nec homagium præſtent, nec forum exinde ſortiantur, quantumvis jus ſuffragii in diætis alterius acquirant. Verum licet forte negandum non ſit, ſubditum realem Principali dignitate eminentem, a Domino territorii in proprio judicio indiſtincte conveniri non poſſe: illud tamen diſſentientes concedant neceſſe eſt, obſervantiam in hoc argumento omne punctum ferre. Unde ſuppoſita lite duos ſubditos inter ſe principaliter concernente, judex rei ſitæ mediatus incompetens videri nequit, tametſi Principis minus principaliter interſit, reum non ſuccumbere; modo a longiſſimo inde tempore conſuetudine receptum ſit, ut Dicaſterium in cauſſis utriuſque Principis commoda ſive principaliter ſive per indirectum concernentibus & cognoverit, & ſententiam tulerit. Hoc enim, ut recte fiat, conſuetudine induci poſſe, nemo eſt, qui negat. (d)

Digitized by Google

(a) INSTRVM. PACIS CAESAR. SVEC. *art.* 5. §. 28. CAPITVL. NOV. *art.* 22. §. 5. PFEFFINGER ad VITRIAR. *Lib. I. Tit.* 22. §. 4. *not.* (a) *ibique allegati.* F. L. DE BERGER *in comment. de privil. de non evocando Austriaco ad subditos reales nulla inita immedietatiis ratione producendo per tot.* & *in Append. in Animad. in H. de Cocceji I. I. P. p.* 698-712.

(b) *ad aur. prax. Calvol.* §. *Landsassius, Limit.* 3. *n.* 15. *p.* 89. *seq.*

(c) *in exercit. ad ff. Exerc.* 13. §. 28.

(d) vid. MEVIVS *P. VIII. Dec.* 198. & *P. V. Dec.* 332. *n.* 12. *in not.* GOEDDAEVS *Vol.* 4. *Conf.* 49. *n.* 10.

§. XXI.

& Principes, quorum subditi litigant, forum primæ instantiæ sortiantur coram Austregis Domus conventionalibus.

Minus adhuc urget dubium ab Austregis desumtum. Si enim Principes, quorum subditi litigant, vel maxime forum primæ instantio coram Austregis domus conventionalibus sortiantur, quid inde? Austregæ supponunt caussas Principes paciscentes inter se concernentes. In præsenti autem ventilatur lis inter subditos nata, quam a judice mediato dirimendam esse juris ratio postulat. Neque obstat, eandem Principes per indirectum tangere videri. Certissimi enim juris est, quod in dijudicanda competentia fori ad observantiam potissimum respiciendum sit. Unde dubium esse nequit, quin Dicasterium, quod in caussis subditorum utriusque Principis

pis commoda pariter tangentibus, non attento foro Auſtregali, inde ab integro ſeculo utroque Principe non contradicente jus dixit, etiam in caſu ſuppoſito judex competens ſit, tametſi forum Auſtregarum conventionalium alias agnoſcere teneantur: id quod a Sereniſſimis Haſſiæ Principibus ex teſtamento Philippi Magnanimi non olim tantum factum, uti WAGNERO (a) viſum, ſed & hodie fieri debet. Ut enim taceamus, Sereniſſimum ERNESTVM LVDOVICVM Haſſiæ Landgravium in litteris Darmſtadii d. 25. Iun. 1728. ad Sereniſſimum CAROLVM datis, ad Auſtregas Haſſiæ conventionales provocaſſe, (b) certe judicii hujus ad præſens uſque ſeculum continuatam, ac per futura tempora duraturam exiſtentiam ſolidiſſimis argumentis probatam vidimus occaſione litis, Sereniſſ. WILHELMO ratione Præfecturæ Babenhuſanæ & Hæreditatis mobiliaris Hanovienſis motæ, (c) ut cum res ad Comitia Imperii delata eſſet, cauſſa Statuum & Cæſaris auctoritate juſtiſſimo decreto remiſſa fuerit ad Auſtregas Domus conventionales. (d) Has enim non tantum in cauſſis ordinariis, ſed etiam mandatorum ſine clauſula locum

habere

habere, ſolidiſſimis argumentis evicit Vir Perilluſtris I. V. DE CRAMER. (e)

(a) *c. l.* §. 27.
(b) vid. ACTA HANOVIENSIA *in appendic. Tom. III p.* 3.
(c) Scripta huc ſpectantia extant in ACTIS HANOVIENSIBVS *Tom. II. Num. III. IV. & XI.*
(d) Concluſum commune Collegii Electoralis & Principum de 17. Iun. 1743. nec non Decretum, quo Auguſtiſſimus Imperator Concluſum Statuum ratum habuit de 18. Iul. 1743. exhibet Magnificus hujus Academiæ Pro-Rector I. C. KOENIG, Collega multis nominibus mihi colendus *Tom. LXXXIII.* der Staats-canzley *p.* 562. & 569. *num. IX. & XII.*
(e) *in Diſſ. de Auſtregis conventionalibus in cauſſis Mandatorum ſine clauſula non ceſſantibus.*

§. XXII.

Nec Dicaſterio obſtat exceptio inhabilis aut ſuſpecti judicis.

Evicta ſic fori competentia, quam Dicaſterio Principis in caſu ſuppoſito aſſeruimus, conſideranda porro eſt præſumtio, quæ pro quovis Magiſtratu legitime conſtituto militat, & ſiniſtras quaslibet de officio ejus ſuſpiciones excludit. (a) Sunt equidem judicia Viris probis, ab omni partium ſtudio remotis ac timore vacuis committenda. Cum vero Dicaſterium Principis his qualitatibus conſpicuum floreat, & ex ejuſmodi perſonis conſtet, quarum in juſtitia adminiſtranda ſtudium ſummum, & gloria illuſtris eſt, quis illud utili-

utilitatis in publicam rem per indirectum redundaturæ majorem rationem, quam officii sui habituram esse existimabit? præsertim, si ipsis gratia sit facta obsequii, quo ad Domini commoda promovenda, tenebantur. His si superioris iudicii constitutio accedat, ad quod gravamina a Dicasterio illata ordinariis remediis deferri possunt, & præterea reus in caussis similibus æquum sæpius expertus fuerit iudicium, nulla certe apparet ratio, propter quam illud declinare quis velit, nisi forte diffidentiam in propria caussa collocatam prodere haud vereatur. (b)

(a) ICTI MARP. *Vol.* 2. *Consil.* 28. *n.* 63. & *Vol.* 4. *Cons.* 16. *n.* 7. STRYK. *Vol.* 7. *Disp.* 17.

(b) vid. DE LVDOLF *Obs.* 228.

§. XXIII.

Unde colligitur, arrestum in specie supposita decretum, non esse illegitimum,

Quibus præstructis facile intelligitur, quid sentiendum sit de rationibus, quibus dissentientes evincere conati sunt, arrestum a Dicasterio Principis in specie supposita, non jure, sed de facto, ut ajunt, decretum, adeoque illegitimum & nullum esse. Argumentum enim a propria caussa desumtum, in qua neminem nec judicem esse, nec arrestum de-

 cernere

cernere posse dicunt, ad hypothesin applicatum omni robore destituitur. *Primo* quippe patet, judicem rei sitæ, ad instantiam partis, pro interesse suo imploratum, contra forensem, ratione bonorum immobilium ipsi pariter subjectum, arrestum decernendo, non in propria, sed aliena caussa versari, quod eventus litis nulla ratione ad eum spectet. *Secundo* nec Principi hanc labem adspergere licebit, tum quod ejus caussa non agatur, tum quod non Princeps, sed judex rei sitæ ordinarius arrestum decernat.

cum non fuerit impositum in caussa propria,

§. XXIV.

quod probatur,

Frustra autem regeritur, sufficere ad hoc, ut caussa propria videatur, utilitatem domini territorii per indirectum in lite versari. Quemadmodum enim controversia in casu proposito non privatum Principis commodum, sed, si multum largiamur dissentientibus publicam utilitatem quodammodo concernit, adeoque pro caussa Principi propria haberi nequit; (§. XV.) ita, si utilitas ejus vel maxime principaliter in lite versaretur (quod tamen in substrato negamus) quis Principem in propria caussa arrestum decernere dixerit,

cum

cum judicis partibus plane non fungatur, ſed magiſtratus ordinarii cognitioni jura ſua committat? Neque ad exploſum jam antea argumentum confugere licebit, quod omnis jurisdictio a Principe pendeat, qui exercitium ejus in Magiſtratum transferat, adeoque factum Magiſtratus, autoritate & conſenſu præſtito, pro facto Principis habendum ſit. (a) Id enim vel minime nos tangit. Quod ſi enim Princeps vi conſuetudinis in cauſſa ipſum directe concernente ſubditum realem etiam in proprio judicio convenire poteſt: qua demum ratione magiſtratui ordinario aliquis denegabit facultatem decernendi arreſtum ad inſtantiam ſubditi contra ſubditum, ſi publica commoda ſaltem per indirectum in lite verſentur? præſertim ſi idem reus in ſimilibus cauſis Jurisdictionem ejus agnoverit, ſeque eidem toties ſubmiſerit.

(a) *conf.* BALSER *l. c.* §. 28.

§. XXV.

Ad ſtatum itaque controverſiæ plane non pertinent argumenta, quibus CL. WAGNERVS (a) arreſti in caſu præſente decreti injuſtitiam ſibi probaſſe viſus eſt. *Primo* enim falſum *& pluribus oſtenditur,*

 eſt,

Digitized by Google

eſt, civem in civem, parem in parem ſibi arrogare jurisdictionem: cum nec actor, nec reus, ſed judex rei ſitæ ordinarius, cujus jurisdictionem in ſimilibus caſibus neuter agnoſcere detrectavit, arreſtum decreverit. *Secundo* ratio, ob quam arreſta Legibus Imperii prohibita ſunt, ne quis ſcilicet ſibi ipſi jus dicat, aut via facti procedendo pacem publicam in diſcrimen adducat, arreſta facti ſaltem reſpicit, quæ pignorationibus æquiparantur, non vero arreſta juris, in quibus adducta ratio plane ceſſat. *Tertio* verba RECESSVS IMPERII *de ann.* 1570. §. 84. & 1594. §. 81. *durch ſich ſelbſt oder die ſeinen* &c. manifeſtam habent ad arreſta illicita relationem, nec aliud volunt, quam ut immediati inter ſe ab arreſtis facti abſtineant & nec ipſi, nec per ſubditos ſuos res vel perſonam adverſarii privato auſu ſiſtant. Quod in caſu præſenti neutiquam fieri evidens eſt. Ut enim non repetamus, cauſſam controverſam non ad Immediatos Imperii Principes, ſed duos ejusdem Domini ſubditos ſpectare, adeoque argumentum ex allegatis verbis Receſſ. Imp. deſumtum caſui præſenti non convenire: Arreſta

certe, quæ ad inſtantiam ſubditi Magiſtratum pro intereſſe ſuo implorantis vi officii decernuntur, Conſtitutione Imperii diſerte exemta ſunt. Tametſi itaque V. C. commemoratis verbis judicem etiam ſubalternum ab uno Principe conſtitutum, eique Juramento obſtrictum comprehendi putet: diſtinguendum tamen eſt, inter judicem de facto, & ſervato juris ordine procedentem; inter judicem rei ſitæ ordinarium ad petitionem tertii contra ſubditum, Jurisdictioni ipſius ſubjectum, & Magiſtratum mediatum in cauſſa duorum Imperii Statuum inter ſe certantium unius juſſu absque cauſſæ cognitione arreſtum non tam decernentem quam res alterius via facti ſiſtentem deque juſtitia arreſti parum ſollicitum; & tandem inter judicem, qui vi conſuetudinis etiam in cauſſis utriusque Principis commoda tangentibus competens eſt, & judicem jurisdictionem hanc ſibi nullo jure arrogantem. *Quarto* Argumentum a remiſſione cauſſæ, relaxato arreſto, ad judicium ordinarium deductum ad arreſta juris plane non pertinet. (b)

(a) *l. c.* §. 22.

 (b) *vid.*

Digitized by Google

(b) *vid.* V. FRICCIVS *de jurisd. summor. Imp. Tribunal. non fund. ad dec. Mandat. S. C. de relax. bon. immed. judic. arrest.* §. 56.

§. XXVI.

Sed auctoritate judiciali ad instantiam tertii Dicasterium pro interesse suo implorantis,

Nec magis ad rem facit, quod ea demum arresta licita sint, quæ ex justa caussa ad requisitionem tertii jure Magistratus imponuntur, arresta vero, propria authoritate, & sine caussæ cognitione suscepta, Recessibus Imperii severe prohibeantur. Nemo enim est, qui hoc neget. Speciem vero propositam si secundum Leges Imperii dijudicemus, non potest non justum videri arrestum decretum, quod nec propria auctoritate, nec sine caussae cognitione, sed a judice rei sitæ ordinario, ad instantiam subditi pro interesse suo ipsum implorantis jure Magistratus impositum fuerit. Neque enim cum CL. WAGNERO affirmari potest, nullum tertium adesse, sed actorem & judicem in una persona concurrere: tum, quod subditus, qui arrestum petiit, tertius utique sit, ad cujus instantiam illud decretum esse supponimus; tum, quod judex rei sitæ ordinarius nulla ratione eandem cum actore personam sustinere videre possit, sive naturaliter, sive civiliter rem consideremus.

§. XXVII.

§. XXVII.

Quam itaque Vir Clariſſimus apertiſſimis legibus ſubnixam & ſummorum Imperii Tribunalium uſu comprobatam eſſe dicit ſententiam, de arreſtis facti inter Status Imperii prohibitis, eam & nos lubentes amplectimur. Decretum vero in ſpecie propoſita arreſtum in claſſem hanc referendam eſſe merito negamus. Deficiunt enim requiſita, ſine quibus Conſtitutioni Imperii de arreſtis non eſt locus. Requirit illa & Cives Imperii Immediatos, & arreſtum non a judice tertio, ſed ab immediato vel per ſe, vel per ſuos impoſitum. (a) In caſu autem propoſito nec immediatorum cauſſa in lite verſatur, nec arreſtum a parte ipſa privato auſu, ſed a Magiſtratu ordinario impoſitum, adeoque legitimum eſt. Quod licet diſſentientes negent, objectio tamen, quam a Principe jubente vel ratihabente deſumunt, levior eſt, quam ut nos feriat. Non enim hæc Principis cauſſa videri poteſt, quæ ſubditi cujuſdam utilitatem principaliter tangit, quamvis is ob rationem publicæ utilitatis actorem in juſta cauſſa vincere malit, ideoque arreſtum ad inſtantiam partis impoſitum,

& præterea deficiant requiſita, ſine quibus Conſtitutioni de arreſtis non eſt locus.

Digitized by Google

tum, non improbet. Quod ficut certiffimum eft, fi Princeps actori cauffam nulla ratione adjuvet, fed in terminis, ut loquuntur, mere paffivis fe contineat; ita Conftitutioni Imperii ne hoc quidem ex capite locus effe poterit, quod Immediati cujusdam quodammodo referre videatur, reum haud fuccumbere. Certi enim juris eft, Statum Imperii ratione bonorum in alio territorio fitorum mediatum & jurisdictioni domini territorialis fubjectum effe poffe. Unde fit, ut bonis hujufmodi ad inftantiam tertii arrefto conftrictis, ne immedietatis quidem oppofita exceptione forum declinare poffit, fed in cauffis bona illa concernentibus indiftincte refpondere teneatur, (b) five illa reali, five perfonali actione petantur. Sufficit enim inftitutam actionem defcendere ex jure rerum, nec concernere ftatum, libertatem vel prærogativam perfonalem. (c) Quamobrem in RECESS. DEPVT. *de anno* 1586. §. *In Fællen aber* &c. provide cautum: *da eine Perfon dem Reich ohne Mittel unterworffen, und unter eines andern Herrn hergebrachten Landfafferey oder Jurifdiction Zwang und Bann Güter liegend hætte, follen hinfort*

Nec obftat, quod alterius Principis referat reum non fuccumbere, cum Status Imperii, quorum bona Landfaffica arrefto constricta funt, ne immedietatis exceptione quidem forum arrefti declinare poffint.

binfort quoad illa bona *keine mandat erkennet werden.* Et licet Receſſus iſte in Imperio non ſit publicatus, atque ob contradictionem Statuum quorundam vim publicæ legis per omnia haud obtinuerit, imo quæſtio hæc nequidem in conventu Deputatorum, anno 1600. celebrato, decidi potuerit, ſed ad Comitia Univerſalia rejecta ſit; (d) nec Aſſeſſores Cameræ in hac quæſtione ſatis convenire dicantur: (e) omnis tamen difficultas quæ forte ſententiam noſtram premit, eo ſaltem caſu alicujus momenti eſſe videtur, quando non ſatis conſtat, num bona arreſto conſtricta Landſaſſica ſint. Cujus rei locupletiſſimus teſtis eſt ipſe RODINGVS (f) à CL. WAGNERO (g) in contrarium allegatus. Poſt notatum enim Aſſeſſorum Cameræ in hoc argumento diſſenſum, rejectaque ſententia GYLMANNI, (h) exiſtimantis, qualitatem Status Imperii in materia de arreſtis ex ſupplicantium perſonis non tantum, ſed ex locorum ratione conjunctim æſtimandam, imo in decernendis Proceſſibus bonorum magis, quam perſonarum rationem habendam eſſe, ſtatim addit: *modo ipſorum poſſeſſor non ſit Landſaſ-*

 ſig;

ſig; hoc ipſo innuens, Conſtitutionem de arreſtis locum non habere, cum bona arreſto conſtricta non ſunt immediata, ſed Landſasſica. Cui conſequens eſt, ſi actori in ſpecie propoſita non cum ſubdito, ſed ipſo Principe res ſit, (quod negamus,) Dicaſterium tamen reo ad immedietatem provocanti regerere poſſe: quoad iſta bona tu non es Status Imperii, ſed ſubditus Domini territorialis. (i)

(a) REC. IMP. *de anno* 1594. §. 81.
(b) TEXTOR *in Deciſ. Palat. Dec.* 1. *n.* 2. 3. 45.
(c) L. B. DE LYNCKER *in Diſſ. de Immediet. Civ. Imp. Rom. Germ.* §. 26. *add. von Friccius l. c.* §. 49.
(d) *vid.* REC. IMP. *de anno* 1594. §. 49.
(e) BLVM *in Proc. Cam. Tit.* 33. *n.* 14.
(f) *in Pandect. Cam. Lib. I. Tit. II.* §. 72. 73. 74.
(g) *l. c.* §. 24. *not. b.*
(h) *Symphorem. Tom. I. P. I. Tit.* 6. *Vol.* 1. *num.* 4. & 8. *p.* 438. 439.
(i) GAIL. *de Arreſt. Imp. Cap.* 6. *num.* 17.

§. XXVIII.

quod Friccii conſenſu, Convenit nobiſcum in Principiis, Vir qui in illuſtranda materia de arreſtis multam induſtriam collocavit, F. C. VON FRICCIVS. (a) Speciem quidem, quae Viro doctiſſimo ſcribendi

bendi anſam præbuit, ab ea, quam tractamus, diverſam fuiſſe, non negamus. Verum principia, quibus nititur, ita comparata ſunt, ut eadem noſtra facere nulli dubitemus. Dum enim arreſtatum immedietatis exceptione forum declinare poſſe negat; ſubiectionem vero, quæ ex bonorum in alieno territorio exiſtentia originem trahit, eo ſe extendere docet, ut Immediati judicium Principis pati cogantur; (b) & tandem arreſto forum fundari tradit, ut Immediato etiam de cauſſa principali in foro arreſti diſceptandum ſit, modo inſtituta actio non ex *jure perſonarum*, ſed ex *jure rerum* deſcendat, (c) nec ſummorum Imperii tribunalium juriſdictio ad decernenda mandata ſine clauſula de bonis immediatorum judicialiter arreſtatis fundata ſit: (d) eas certe Vir doctus ſuggerit rationes ex quibus totius fere cauſſæ deciſio pendet. Nihil contra præſidii ſententiæ contrariæ exinde accedit, quod FRICCIVS arreſta in propria cauſſa decreta damnet, nec Principi Imperii licere ſtatuat, ut ex Conſiliariis ſuis quosdam deleget,

Digitized by Google

ab eo conſequatur. Præterquam enim, quod in ſpecie propoſita cauſſam ipſius Principis in lite verſari negemus; alia certe judicis delegati, alia judicis ordinarii ratio eſt. Hic in cauſſis ſubditos & Dominum territorii concernentibus ex conſuetudine Germaniæ antiquiſſima competens eſt; (e) judices vero delegatos excludendos eſſe Perilluſtris de LVDOLF (f) ipſe monuit.

(a) *l. c. paſſim.*
(b) *l. c.* §. 49.
(c) *l. c.* §. 55.
(d) *cit. tract. per tot.*
(e) §. *XVII. ſupra.*
(f) *Obſ.* 228.

§. XXIX.

& illuſtri quodam præjudicio denuo confirmatur.

Ad rem autem ſine dubio facit præjudicium, quod de Tripſio Barone Sereniſſimos Waldecciæ Principes in Summa Curia Brabantina conveniente attulimus. (a) Negant id quidem ICTI GIESSENSES. (b) Sed dum præjudicii hujus autoritatem impugnant, momenta ventilati proceſſus non ſatis perſpecta habuiſſe videntur. Licet id judicare ex rationi-

tionibus quibus CL. WAGNERVS vim hujus præjudicii labefactare contendit. *Primum*, actione spolii actum fuisse ait, quam forum rei sitæ tanquam in rem scriptam sui natura admittit, provocans ad *L.* 1. *ff. de interdictis.* Verum, prætęrquam quod actio spolii natales suos debeat Juri Canonico, ut ratio ejus ex Legibus Civilibus ægre explicari posse videatur: VLPIANVS (c) certe de interdictis in genere loquitur, eademque licet in rem concepta videantur, vi tamen ipsa personalia esse definit. Vnde si actio spolii vel maxime instar interdicti consideretur, ex dissentientium principiis tamen erit personalis. Deinde parum urget, quod primus reus de Breyl in Brabantia domicilium habuerit, adeoque forum hoc agnoscere debuerit. Factum id referente G. M. DE LVDOLF (d) anno 1666. Sed quid inde? Sufficit, quod Tripsius eodem Viro Perillustri teste, fundata in Curia Brabantina per arrestum jurisdictione, Principes Waldeccenses, quos domicilium ibi habuisse nemo dixerit, anno 1697. non obstante immedie-

Digitized by Google

ſe Landſaſſica. Nec nos id negamus. Verum in ſpecie etiam ſuppoſita bona arreſtata Domino territorii eodem nexu ſubjecta eſſe certiſſimum eſt. Vtrum autem bona illa reali, an perſonali actione petantur, parum referre ſupra vidimus. (f) *Quarto*, pergit, jus Tripſii ex hæreditate deſcendit. Et tamen non hæreditatis petitione, ſed actione ſpolii actum fuit. Demum *quinto*, rem Curiam Brabantinam plane non attigiſſe, ſed arreſtum ad requiſitionem tertii impoſitum fuiſſe contendit. Et ita omnino eſt. Atqui in caſu præſenti res eodem ſe modo habet, cum Dicaſterium tanquam judex rei ſitæ ordinarius arreſtum ad inſtantiam tertii utique decreverit: ita ut utriusque facti circumſtantiis collatis, ovum ovo non ſit ſimilius. Addam & hoc, non alium in finem præjudicium hoc allatum fuiſſe, quam ut oſtenderemus Status Imperii, quorum bona Landſaſſica arreſto conſtricta ſunt, ne immedietatis quidem exceptione forum declinare poſſe: qua ratione, quin idem congruenter adductum ſit, non dubitandum. Tandem *Sexto* ipſam ſententiam principalem omiſſa fori exceptione in Camera

ra

Digitized by Google

ra pronunciatam fuiſſe objicit. Verum ſolvit hoc dubium ipſe Perilluſtris Referens (g), cujus verbis illud removere licebit. *Cum vero*, inquit, *pars rea contumax ibi permanſerit* (ſc. in Curia Brabantina) *judex progreſſus eſt ad ſententiam* (in cauſſa principali) *cujus executio, ſi in bonis arreſtatis ſufficienter obtineri non potuit, licitum fuit actori, nunc ejusdem ceſſionario, in Camerali judicio cauſſam inſtruere de novo.* A Suprema igitur Curia Brabantina ſententia utique lata fuit in cauſſa principali, ſed cum actori ex bonis arreſtatis per executionem ſatisfieri non poſſet, ad Cameram Imperii is ſe convertit, non quod retro acta fuerint nulla, ſed quod defecerit in Brabantia ſufficiens objectum executionis.

(a) *in Program. de juſtit. arreſti a judic. rei ſitæ contra for. decret.* §. 20.

(b) BALSER *in programm. de arreſt. fact. & illic. contra for. decret.* § 30. WAGNER *l. c.* §. 26.

(c) *in d. L.* 1. §. 3. *ff. de interd.*

(d) *in Symph. Conſult. & Dec. Tom. I. p.* 1421. *in fin.*

(e) *l. c. p.* 1422. *in pr. & p.* 1424.

(f) [illegible] XXIII.

Digitized by Google

§. XXX.

Propter spolium perperam agi ex Constitutione de arrestis.

Quemadmodum itaque Dicasterium Principis in specie proposita arrestum decernendo non de facto, quod ajunt, sed jure optimo processisse apparet, ita illud spolii violenti eo nomine cum ratione nemo incusaverit. Cum enim spolium sine violenta vel injusta dejectione non committatur, atque is demum judex spoliator audiat, qui de facto inverso ordine procedens, uni vel utrique partium litigantium rem vel jus aliquod inique aufert, (a) quis eum spoliatum diceret, qui contumacia sua effecit, ut, postquam jurisdictioni magistratus ordinarii se pertinaciter subducere omni nisu contendit, tandem exciderit bonorum suorum possessione, in quam partem adversam mittere judex per sacra officii sui tenebatur? Sed non est, ut his pluribus immoremur. Illud vero monere licebit, quod practicis pridem observatum est, praeter arresta licita, quae non fiunt propria auctoritate, ad Constitutionem Imperii haud pertinere pignorationes, occupationes & spolia, (b) adeo, ut, qui ob spolium ex constitutione de arrestis mandata sine clausula impe-

Digitized by Google

impetrari posse sibi persuadent, egregie falli appareat. Vnde si spolium vel maxime subesset, quod negamus, ex memorata tamen constitutione mandatum huiusmodi salvo iure nec peti nec obtineri potuisse certissimum est.

(a) *Ill.* BOEHMER. *in Iur Eccles. Tom.* 1. *Lib.* 2. *Tit.* 13. §. 2. I. H. MEYER *in Disp. de iudice spoliatore* §. 16.

(b) *Cammer-Gerichts Ordnung P.* 2. *tit* 24. §. 1. L. B. DE LYNCKER *de Gravam. extrai. Cap.* 5. *Sect.* 1. §. 13. *n.* 6. DE LVDOLF *in iur. Cam. Sect.* 1. §. 9.

§. XXXI.

Excussis sic potioribus Dissentientium momentis plura jam pro instituti ratione non addimus. Hanc saltem nobis conficere liceat dictorum summam: arresta ad instantiam tertii decreta Constitutione Imperii non prohiberi, sed Legibus manifestissime probari & habere effectum prorogandæ Jurisdictionis: (a) ita, ut judex rei sitæ, qui arrestum imposuit, quoad caussam principalem competens videri debeat, licet bona impedimento constricta actione personali petantur, *Conclusio Dissertationis*

Digitized by Google

quidem idem ille judex vi consuetudinis inde ab integro seculo in causis hujusmodi tam personalibus, quam realibus nemine contradicente jus dixit & competens habitus est.

(a) *vid. program. de iustitia arresti a iudic. rei sit. contra forensem decreti* §. 10 *in fin. et* §. 18. add. PVFENDORF *introd. in proc. Lüneb. P. IV Cap.* 6. *Sect.* 1. §. 21. 22. *p.* 745. 746. LVDER. MENCKEN *in synopsi Theor. et Prax. Pandectar. Lib.* 5. *tit.* 1. §. 38. COCH *Prax. for. Germ. P.* 4. *C.* 3. §. 7.

ERRATA.

P. 4. col. 2. lin. 20. pro *immediatis* lege: *immeditatis*.
P. 11. lin. 2. pro *dicerc* lege: *dicere*.
P. 13. lin. 5. pro *antem* lege: *autem*.
P. 14. lin. 6. pro *quæfitum* lege: *quæsitum*.
P. 30. lin. 24. pro *videre* lege: *videri*.
P. 32. lin. 2. pro *actori* lege: *actoris*.

Ab11471716

Digitized by Google